

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110**

Tractatus theologicus de doctrina christiana s. de rudementis christ. fidei -  
Ettenheim-Münster 99

**Cartier, Gallus**

**[S.l.], [18. Jahrh.]**

Caput 1mum

[urn:nbn:de:bsz:31-110904](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-110904)



44.  
patienter tempus, diuturnum aut molestum  
existimari debet: Non enim sunt condigne poe-  
nes huius temporis ad futuram gloriam, quae re-  
velabitur in nobis, inquit Apostolus, Rom. 8.

o felices, qui a Christo aliquando audituri  
sunt illa verba omni consolatione plena: Veni-  
te benedicti Patris mei, possidete paratum vo-  
bis regnum a constitutione mundi! O nimium  
infelices illi, quibus voce terribili dicitur: Dis-  
cedite a me maledicti in ignem aeternum, qui  
paratus est diabolo et Angelis eius! Ad illo-  
rum igitur numerum venire per sancta  
opera omnes vires intendamus, ab istorum  
vero consortio separari nunc a malo decli-  
nando impense satagemus.

### Part. Secunda.

93.  
De Spe, et iis, quae ad eam  
pertinent.

Capit. i. num.  
De Spe ipsa.

S. 1.

De essentia et objecto Spei.

Q. 1.º. Quid est Spes?

R. Spes est virtus Theologica divinitus  
infusa, per quam nostram salutem a Deo  
firmiter expectamus. Equidem etiam  
in B. Virgine Mariâ, aliisque Sanctis sperare  
possumus, verum haec Spes non est Theologica,  
sed potius fiducia muneri debet. Itaque  
cum Sancti sint potentes Dei amici, ideo  
in ipsorum intercessione magnam fiduci-  
am merito collocamus.

Q. 2.º. Quodnam sit objectum Spei? 94.

R. Primum est Deus possidendus; secun-  
darium sunt media salutis a Deo instituta,  
nempe gratia, et bona opera ex virtutibus gra-  
tia facta, sine quibus Spes esset mera presump-  
tio. Item bona temporalia, quatenus per bo-  
num usum ex gratia Dei ad salutem condu-



50. cre possunt: uno verbo, omnia, quae in oratione Dominica continentur.

S. 2. Jus

De fundamentis Spei.

95. Q. 1<sup>o</sup> Quodnam sit fundamentum Spei?

R. Spes, tanquam basi, innititur omnipotentiae, Fidelitati, ac Bonitati Dei: Speramus enim in Deo, quia omnia potest, quia fidelis est in promissis, et quia vult nos salvare.

Q. 2<sup>o</sup> Quâ ratione Spes evitari, ac nutrirî possit?

R. 1<sup>o</sup> frequentibus Spei actibus, quibus vel maxime abundant Psalms. 2<sup>o</sup> Cœbra meditatione bonitatis, ac beneficiorum Dei, illorum proestim, quae Christus, pro immensâ suâ in nos charitate, nobis praeestitit.

Caput 2. dnm

96.

De Oratione.

Nulibi Spes magis exercetur, quam in Oratione; frustranea quippe est ea oratio, quae Spe non fulcitur; congruum proinde omninè est, ut de Oratione hîc pauca dicamus, atque quae quid et quotuplex sit oratio. Igitur

97. Q. 1<sup>o</sup> Quid sit oratio?

R. Est petitio rerum deventium facta Deo, sive immediate, sive mediate, Sanctorum. scilicet intercessione, ut aliquis ab ipso impetretur.

98. Q. 2<sup>o</sup> Quomodo dividitur oratio?

R. In mentalem, quae scilicet fit solâ mente; et vocalem, quae fit additâ voce corporali: dico, additâ, quia vocum prolatio secundum se sumpta non est oratio. Oratio namque est nostri desiderii explicatio; nec potest strepitus oris mutò corde. Oratio igitur vocalis, ut sit vera oratio, mentalem necessariò includit.

99. Q. 3<sup>o</sup> Quid sit oratio mentalis?

R. Est studiosa investigatio veritatis ad concipi-